

nistrationem conferres, numne^(a) in summo otio versabare? cum et nunc quoque in vacantem pastore provinciam accitus, quando nullum facinus preclarum nisi te conscientia atque auctore fieri usquam potest, pacata tranquillaque servas omnia, num tuo iudicio otiosus es? plane vir bonus et sapiens vero tunc otio perficitur^(b) optimumque laboris sui capit fructum, cum id agit quo prodesse plurimis possit, atque ita cum nunquam vacet, semper in otio est, sed et nos quoque, licet imparibus studiis, tamen nonnihil agimus, cum sedemus in schola, cum in penetralibus tectorum claudimur, cum docemus, cum discimus dignumve aliquid de ratione, natura aut moribus, motu mentis agitamus. sed o quantum, Deus bone, nostrum hoc sive negotium sive otium dicamus, quod nemini quanvis pessimo interdici potest, ab vestro distat^(c), quod non nisi magnis et claris viris permittitur! nos enim, cum aut ingenio nostro quicquam intulimus aut multa sumus ex disciplinis memoria complexi, summum fecimus; vos, quasi ad communem hominum salutem terris dati, hoc agitis ut pace iustitiaque foveatur humana genus. est tamen in utraque re, quemadmodum voluptas, ita et labor et studium, ut nemini ignavo aspirare illuc liceat: sed impar effectus venit. cum enim diversis studiis vos publica munera, nosque propriam privatamque rem amplexi simus, agere vos plurimum saluberrimum^(d) constat, nos nonnihil, ac neutros inertis otio difluere^(e). itaque, ut ad principium redeam orationis, in id spectare admonitionem fratris reor, ut, cum intelligeret quanto ego te cultu quantoque tu me amore complexus sis, etsi neque me nunc eloquentie aut scribendi studiis datum sciret, neque te facile prestare aures litteris posse, nullam tamen causam dignam arbitraretur, que aut me tenere deberet ne scriberem, aut te^(f) ne litteras meas optares et legeres. quamobrem protinus effeci ut pleniorum hanc epistolam, que preteritum purgaret errorem, ad te dimitterem: quod quidem et quandiu aberis sedulo faciam. nichil enim hactenus ne scriberem cause fuit, nisi quod propediem venturus dicereris. sed illud animadverto, quod ita tecum his litteris ago, quasi non

Si dirà ozioso: adesso, che amministra il vacante patriarcato d'Aquileia?

Certo l'uomo virtuoso e saggio è sempre in otio quando si adopera in pro del vantaggio universale; e nella stessa guisa gli studiosi sono anch'essi fatti vivi.

per quanto grande sia l'intervallo che separa il loro compito da quel che si confida agli uomini eccellenti.

Ad entrambi è comune la gioia e lo zelo del lavoro, pur essendo diverso l'effetto, come diversa è la misura, di ciò che compiono; quindi è vero che né gli uni né gli altri poltriscono nell'otio.

Questo adunque voleva significare Pietro.

Perciò non ha tardato a scrivergli a lungo, come farà spesso durante la sua assenza.

Senonché, grave errore sarebbe il

(a) *B* nun ne *B*³ nonne *PM c. 107 b.*: «Numne per nonne ut legit 4³ codex». *P* num ne (b) *B* tunc bono perficitur (c) *BP om.* quod nemini-vestro distat (d) *BP* saluberrimum *B*³ plurimum rerum salubrium (e) *BP* defluere (f) *BP om.* te